



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 23. S. Annonis Coloniensis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

quamvis pridie Episcopum Bambergensem ob Simoniam deponi conspexissent. Rex eorum imprudentia offensus & fatigatus importunitate quemdam monachum Herfeldensem, nomine Ruzelinum, ad Regiam ab Abbate suo ad peragenda monasterii sui negotia missum, omnium primus Abbatem Fuldensem eligit, baculum Pastoralem porrigit, Monachosque & Abbatiam Vasallos instanter rogat, ut suis suffragiis accederent. Ruzelinum nihil minus quam Abbatialem Dignitatem cogitantem vix non vires defecerant, sibi que utcunque redditus, cum cerneret omnes magno clamore & gaudio Regis vocem excipere, objecit suam tenuitatem, male affectam valetudinem, & sui Abbatis absentiam. Verum quia Episcopi presentes vehementer instabant, tandem consentit.

Sæculum XI.  
A.C 1075.

§. XXIII.

*S. Annonis Coloniensis obitus.*

Eodem anno extinctus est S. Anno Archiepiscopus Coloniensis, clarissimum Germaniam lumen. Ex quo ab aula secesserat, Deus Sanctum Virum compluribus immissis calamitatibus tentavit; nam cum Vocelinus ejus Frater Archiepiscopus Magdeburgensis, ejusque Propinquus Bucco Episcopus Halberstadiensis

*Lambert.*

*p. 229.*

*Sup. l. LXI.*

*§. 56.*

S 5

sis

Sæculum XI. A.C. 1075. sis bello Saxonico fuissent impliciti, & proinde Regem offensum haberent, tum etiam Anno naturæ affectum, ut Henrico videbatur, non satis reprimens nimis parce subsidia militaria mitteret, suspicionem concepit Rex, ipsum quoque hostium partibus favere, eundem violata fidei & perjurii accusavit, & usque adeo vindictæ cupiditati indulgit, ut cives Colonienses ad necandum Archiepiscopum sollicitaret, quorum duo nefandum consilium ceperunt. Anno superiore millesimo septuagesimo quarto proximis post Pascha diebus non nullorum ex Archiepiscopi familiaribus imprudentia tam vehementis seditionis occasio extitit, ut Archiepiscopus de vita periclitaretur. Hinc complures cives Colonienses excommunicationis telo percussos exilio damnavit, quibus deinde ad Festa Paschalia anno millesimo septuagesimo quinto Ecclesiasticam Communionem, & Bona ipsorum in illo tumultu direpta reddidit. (\*) Tandem Sancti Archiepiscopi pedes ulcera tam acriter corripuerunt, ut consumpta carne ossa conspicerentur, cum-

(\*) Dum hic legimus, reos a S. Annone exilio punitos, observabit Historiæ studiosus Lector, ista ætate deprehendi prima vestigia potestatis, Principi Sæculari competentis, ab Archiepiscopis Germanis exercitæ.

cumque sensim crura & femora fuissent infecta, etiam corpus, & viscera, illa perniciēs invasit. Itaque lenti morbi cruciatibus diu toleratis quarta Decembris, qua die Ecclesia ejus memoriam colit, anno millesimo septuagesimo quinto obdormivit in Domino, postquam Sedem Coloniensem annos viginti & menses decem tenuisset. Sepultus est in Monasterio Sigebergensi, ejusque tumulus compluribus editis miraculis claruit. (\*)

Sæculum XI.  
A.C.1075.

*Mart. Rom.*  
4. Dec.  
*vit. ap. Sur.*  
*lib. III. c. 17.*

§. XXIV.

*Concilium Londinense.*

Eodem anno millesimo septuagesimo quinto, Guilielmi Regis nono, Concilium Nationale totius Angliæ celebratum, cui præfuit Lanfrancus Archiepiscopus

*to. 10. Conc.*  
*p. 346.*

(\*) Paucis abhinc diebus anno 1761. defuncto Archiepiscopo & Electori Coloniensi, Clementi Augusto, unanimi Canonorum Cathedralium voce Maximilianus Fridericus ex S. R. Imp. Comitibus de Königseck Rothenfels, Colonia anno millesimo septingentesimo octavo natus, deinde in Collegio Academico Monasterii nostri Ettalensis per complures annos Alumnus, susceptus est, ingenti solatio RR. PP. olim Magistrorum suorum, quorum spem de præclara illustrissimi Adolescentis indole conceptam, licet maximam, supra omnem tamen expectationem implevit.

Modo